This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Gp
83
477

9183.477

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 24 Dec., 1889.



9062

SOCRATIS DOCTRINA

EX PLATONIS REPUBLICA

ILLUSTRATA

QUA DISPUTATIONE

AD AUDIENDAM DE SOCRATE ET FICHTIO INTER SE COMPARANDIS ORATIONEM

QUA

PRO AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS VENIA

SCHOLAS IN

UNIVERSITATE HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

A SE HABENDAS AUSPICABITUR

DIE XXVII. MENSIS APRILIS HORA XI

OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

AUGUSTUS KROHN.

QUAE THESES HUIC LIBELLO ADIECTAE SUNT EAS AUCTOR DIE XXVI. MENSIS APRILIS HORA XI. IN AUDITORIO MAXIMO PALAM DEFENDET.

ADVERSARIORUM PARTES AGENT:

CHR. MUFF DR. PHIL.

O. FRIEDEL DR. PHIL.

HALIS

TYPIS ORPHANOTROPHEI

MDCCCLXXV.

9483.477

HARVARD COLLEGE
DEC 24 1889
LIBRARY.

Constantius fund.

De Xenophontis auctoritate in examinanda doctrina Socratica eam normam conservari voluit Schleiermacherus, ut nihil quidquam praetermitteretur, quod ab eo Socrati tributum esset facultate simul data anquirendi ejus modi morum rationisque notas, quae Xenophonteae enarrationi non refragarentur. Quae norma etiamsi eruditissimorum virorum adsensum tulerit, in adumbrandis tamen Socratis persona ac doctrina mirum in modum neglegebatur et neglegitur. Cuius rei cum nuper alio in loco testimonia persecutus sim, ad alteram partem quaestionis de Socrate Platonico, quatenus congruat cum Xenophonteo, pergam accedere. Nec vero id mihi proposui, ut perlustrata omni dialogorum serie ex unaquaque similitudines conquiram — molesta videlicet et futilis indagandi ratio —, sed illud tantummodo opus examinandum suscipio, quod unum omnium maxime indolem referat genuinae doctrinae a Xenophonte descriptae: Rempublicam Platonis.

Ei sententiae si quis objectaverit nullum inter Platonis opera exstare, quod sui similius sit idemque alienius a magistri disciplina, equidem et dissentio et adsentior. Etenim posteriores libros diligenter perpendenti discrimina obviam eunt, priores concentus. Quodsi disputatione mea effecero, quid intercedat cognationis inter adumbrationem Xenophonteam et Reipublicae priorem partem, non modo

verae imagini Socratis, ut quae utroque insigni documento collustretur, sed etiam Platonis amplissimo libro rectius aestimando prospectum erit.

Platonis Reipublicae fundamento id spectari apparet, ut civium exitiosa licentia arceatur. Nam cum illis temporibus omnes omnibus rebus interessent neque consilio et auctoritati tantulum tribueretur, Plato inde salutem sibi petere visus est, ut suum quemque munus obire juberet: munus autem ad insitam indolem (*φύσιν*) accommodandum esse.

370 B *φύεται ἕκαστος οὐ πάνυ ὁμοίως ἑκάστῳ, ἀλλὰ διαφέρων τὴν φύσιν.*

370 C *πλείω τε ἕκαστα γίγνεται καὶ κάλλιον καὶ ῥᾷον, ὅταν εἷς ἓν κατὰ φύσιν καὶ ἐν καιρῷ σχολὴν τῶν ἄλλων ἄγων πράττῃ.*

374 A *ἀδύνατον ἕνα πολλὰς καλῶς ἐργάζεσθαι τέχνας.*

374 B *ἑνὶ ἑκάστῳ ὡσαύτως ἓν ἀπεδίδομεν, πρὸς ὃ πέφυκει ἕκαστος καὶ ἐφ' ᾧ ἔμελλε τῶν ἄλλων σχολὴν ἄγων διὰ βίου αὐτὸ ἐργαζόμενος οὐ παριεὶς τοὺς καιροὺς καλῶς ἀπεργάζεσθαι.*

394 E *τοῦτο τοῖς ἔμπροσθεν ἕπεται ὅτι εἷς ἕκαστος ἓν μὲν ἂν ἐπιτήδευμα καλῶς ἐπιτηδεύοι.*

395 A *πολλὰ ὁ αὐτὸς μιμεῖσθαι ὥσπερ ἓν οὐ δυνατός ..... οὐδὲ τὰ δοκοῦντα ἐγγὺς ἀλλήλων εἶναι δύο μιμήματα δύναιντ' ἂν οἱ αὐτοὶ ἅμα εὖ μιμεῖσθαι ..... φαίνεταί μοι εἰς σμικρότερα κατακεκερματίσθαι ἢ τοῦ ἀνθρώπου φύσις.*

397 E *ἕκαστος ἓν πράττει.*

423 D *πρὸς ὅ τις πέφυκε πρὸς τοῦτο ἕνα πρὸς ἓν ἔργον δεῖ κομίζειν.*

433 A *ἐθέμεθα δήπου καὶ πολλάκις ἐλέγομεν ,ὅτι ἕνα ἕκαστον ἓν δέοι ἐπιτηδεύειν τῶν περὶ τὴν πόλιν, εἰς ὃ αὐτοῦ ἡ φύσις ἐπιτηδειοτάτη πεφυκυῖα εἴη.*

433 D ὅτι τὸ αὑτοῦ ἕκαστος εἷς ὢν ἓν ἔπραττε καὶ οὐκ ἐπολυπραγμόνει.

435 B πόλις ἔδοξεν εἶναι δικαία ,ὅτε ἐν αὐτῇ τριττὰ γένη φύσεων ἐνόντα τὸ αὑτῶν ἕκαστον ἔπραττεν.

441 D ἀλλ' οὐ μὴν τοῦτο ἐπιλελήσμεθα, ὅτι ἐκείνη γε τῷ τὸ ἑαυτοῦ ἕκαστον ἐν αὐτῇ πράττειν τριῶν ὄντων γενῶν δικαία ἦν.

453 B ὡμολογεῖτε δεῖν κατὰ φύσιν ἕκαστον ἕνα ἓν τὸ αὑτοῦ πράττειν.

453 E ἄλλην φύσιν ἄλλο δεῖν ἐπιτηδεύειν.

456 B τὰ δ' ἐπιτηδεύματα οὐ τὰ αὐτὰ ἀποδοτέα ταῖς αὐταῖς φύσεσιν;

Quibuscum conferas quae a Socrate apud Xenophontem declarata sunt Mem. III, 9, 3 ὁρῶ δ' ἔγωγε καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων πάντων ὁμοίως καὶ φύσει διαφέροντας ἀλλήλων τοὺς ἀνθρώπους καὶ ἐπιμελείᾳ πολὺ ἐπιδιδόντας.

Mem. III, 9, 14 τὸ δὲ μαθόντα τε καὶ μελετήσαντά τι εὖ ποιεῖν εὐπραξίαν νομίζω καὶ οἱ τοῦτο ἐπιτηδεύοντες δοκοῦσί μοι εὖ πράττειν.

Suspicetur quispiam id Platonis proprium fuisse, ut alteram sententiam cum priore consociaret, ut discere et exerceri secundum innatam naturam iuberet, quod contra Socratem vim naturae attendisse illum quidem sed in deligendo vitae instituto neglexisse. Quod caveas ne decipiare.

Mem. IV, 1, 2 ἐτεκμαίρετο δὲ τὰς ἀγαθὰς φύσεις ἐκ τοῦ ταχύ τε μανθάνειν οἷς προσέχοιεν καὶ μνημονεύειν ἃ μάθοιεν καὶ ἐπιθυμεῖν τῶν μαθημάτων πάντων δι' ὧν ἔστιν οἰκίαν τε καλῶς οἰκεῖν καὶ πόλιν καὶ τὸ ὅλον ἀνθρώποις τε καὶ τοῖς ἀνθρωπίνοις πράγμασιν εὖ χρῆσθαι· τοὺς γὰρ τοιούτους ἡγεῖτο παιδευθέντας οὐκ ἂν μόνον αὐτούς τε εὐδαί-

μονας εἶναι καὶ τοὺς ἑαυτῶν οἴκους καλῶς οἰκεῖν, ἀλλὰ καὶ ἄλλους ἀνθρώπους καὶ πόλεις δύνασθαι εὐδαίμονας ποιεῖν.

Hae ἀγαθαὶ φύσεις, quae optima disciplina educatae se cives civitatem felices reddere sciant, nonne proxime ad φυλάκων similitudinem accedere censendae sunt, qui et ipsi aureis naturis instructi musica et gymnastica ad rempublicam administrandam evehantur? Iam quod Socrates non eo usque progressus est, ut quodvis opificium ex una definitaque natura suspensum vellet, Plato quoque a nimia severitate temperabat. Sane quidem vetuit reipublicae gerendae umquam participes fieri opifices, cum viliorum artium permutatione nihil detrimenti civitatem capturam esse doceret: 434 A τέκτων σκυτοτόμου ἐπιχειρῶν ἔργα ἐργάζεσθαι ἢ σκυτοτόμος τέκτονος, ἢ τὰ ὄργανα μεταλαμβάνοντες τἀλλήλων ἢ τιμάς, ἢ καὶ ὁ αὐτὸς ἐπιχειρῶν ἀμφότερα πράττειν, πάντα τἄλλα μεταλλαττόμενα, ἆρά σοι ἄν τι δοκεῖ μέγα βλάψαι πόλιν; Οὐ πάνυ, ἔφη.

Plato ordinibus inferioribus praetermissis unis custodibus quae discenda essent praecepit, cum multitudini ita tantum consuleret, ut continenda videretur; atque pariter Socratem eis praecipue operam dedisse, qui spem reipublicae prospere gerendae praeberent, supra allato loco Memorabilium (IV, 1, 2) ostenditur.

Quid autem de eo existimandum est, quod Plato unum tantummodo munus suscipi imperavit? Quod quamquam dilucide in Memorabilibus non exponitur, tamen non est, quod longe quaeras. Audiamus eum εὐπραξίαν finem bonorum ex Socratis sententia definientem.

Mem. III, 9, 14 τὸ μαθόντα τε καὶ μελετήσαντά τι εὖ ποιεῖν εὐπραξίαν νομίζω. Iure ideo Socratem in eo posuisse felicitatem contenderis, ut in uno munere suscepto quasi

domineris, ne id dicam, qui *μανθάνειν μελετᾶν καὶ εὖ ποιεῖν τι* praeceperit, eum multarum rerum studio favere non potuisse, cum omni tempore rei et penitus percipiendae et prospere perficiendae aequa difficultas obstiterit.

Ceterum qui in re haud ambigua omni dubitatione vacare cupiant, eos velim spectare ad Cyropaediam II, 1, 21 *ἐκεῖνο δοκῶν καταμεμαθηκέναι ὅτι οὗτοι κράτιστοι ἕκαστα γίγνονται οἷς ἂν ἀφέμενοι τοῦ πολλοῖς προσέχειν τὸν νοῦν ἐπὶ ἓν ἔργον τράπωνται*, et ad Rempublicam 433 A *ὅτι γε τὸ τὰ αὑτοῦ πράττειν καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν δικαιοσύνη ἐστί, καὶ τοῦτο ἄλλων τε πολλῶν ἀκηκόαμεν καὶ αὐτοὶ πολλάκις εἰρήκαμεν*. Sequitur igitur, ut praeter Socratem et Platonem alii quoque id aetatis sibi persuaserint, intra suum quemque munus repressa studiorum libidine cohibendum esse.

Plato ad finem disputationis progressus iustitiam statuit esse *χρηματιστικοῦ ἐπικουρικοῦ φυλακικοῦ γένους οἰκειοπραγίαν* 434 C. Quodquoniam nihil exstat vestigii, quemadmodum Socrates iustitiam interpretatus sit, de utriusque consensu nequit diiudicari. Attamen manifestum est, illam definitionem a ratione Socraticae disciplinae profectam esse, ut vocabulis differant, modo consentiant rebus.

Iam vero de instituenda disciplina tametsi nihil fere patet apud Xenophontem, quod cum Platonis doctrina comparari possit, summatim consideranti nihilo secius mutua occurrit consensio. Omnino enim id egit Socrates, ut iuventus certa disciplina imbueretur, quae non tam poetarum illecebris, ut tunc solebat, quam idoneis vitae cum fructu agendae praeceptis inniteretur. Qui cum rempublicam vitiorum mole collabentem videret, imminenti ruinae non legibus latis sed animis informatis medendum docebat. Hic vertitur quasi cardo doctrinae Socraticae, quippe quae

prima hominis ad civilem vitam educandi auctor facta posthabitis institutis ex civium pectore menteque civitatis salutem repetiverit. Neque ideo leges moliendae sunt, ut publica fortuna firmetur, sed ut sapienter educando principes salutis evadant (Mem. IV, 1, 2 *τοὺς γὰρ τοιούτους ἡγεῖτο παιδευθέντας ..... πόλεις δύνασθαι εὐδαίμονας ποιεῖν*), neque minus ratio iudiciorum renovanda, cum ingenio erudito iniuria nascens opprimatur. Neminem enim indulgere malis, qui bona didicerit (Mem. III, 9, 5 *καὶ οὔτ' ἂν τοὺς ταῦτα εἰδότας ἄλλο ἀντὶ τούτων οὐδὲν προελέσθαι*). Nec vero doctrinae solum virtutis sed etiam consuetudini opus esse in educando provideri. An aliud eum spectasse putas praeter consuetudinem, cum canum equorumque exemplo ipsius consilium probare studeret (Mem. IV, 1, 3), aut cum *παιδευθέντας μὲν καὶ μαθόντας ἃ δεῖ πράττειν, ἀπαιδεύτους δὲ καὶ ἀμαθεῖς* (ibid. § 4) luculenter distingueret? Quid est *διαίτῃ τήν τε ψυχὴν παιδεύειν καὶ τὸ σῶμα* (I, 3, 5) nisi adsuefaciendo animum corpusque moderari? Iam si quaeritur, quid sibi velint *μαθήματα*, quibus iuvenes erudiri praecepit, documenta non desunt. Primum enim eo deducendos esse, ut officia qualia sint perciperent (I, 1, 16 *τί εὐσεβές, τί ἀσεβές, τί καλόν, τί αἰσχρόν, τί δίκαιον*), deinde ut rerum utilium compendiaria quadam scientia instruerentur (IV, 7, 8 *μέχρι δὲ τοῦ ὠφελίμου πάντα καὶ αὐτὸς συνεσκόπει καὶ συνδιεξῄει τοῖς συνοῦσι.* § 2 *ἐδίδασκε δὲ καὶ μέχρι ὅτου δέοι ἔμπειρον εἶναι ἑκάστου πράγματος τὸν ὀρθῶς πεπαιδευμένον*), praeterquam quod omnes quae ad vitae institutum pertinerent ea ratione usuque perdiscere deberent (III, 9, 3 *χρὴ καὶ τοὺς εὐφυεστέρους καὶ τοὺς ἀμβλυτέρους τὴν φύσιν ἐν οἷς ἂν ἀξιόλογοι βούλωνται γενέσθαι, ταῦτα καὶ μανθάνειν καὶ μελετᾶν*). Omnino autem studia eo conferebat, ut virtutum ad communem salutem

spectantium peritos efficeret (I, 2, 64 *τῆς καλλίστης καὶ μεγαλοπρεπεστάτης ἀρετῆς ,ἧ πόλεις τε καὶ οἶκοι εὖ οἰκοῦσι προτρέπων ἐπιθυμεῖν*). Ut brevi comprehendam quae dixi, communi rei deditus erat, missis argutiis civitatem amplexabatur.

Atque haec quidem praecepta eius modi sunt, ut emendandae civitatis remedia Socratem in disciplina ingenii morumque posuisse recte videar contendere. Ceteri extrinsecus valetudinem petebant, ille intrinsecus; cum animae mentique consuluit, rebus publicis consuluit, ut quae artissime cum iis implicatae vel potius ex eis radicitus suspensae sint. Neque enim est in hominum vita, quin inde manet ac sua luce illustretur. Quod eum clare sensisse non dicam, sed tamquam tacite divinasse haud dubius obtineo. Etenim aliter vereor, ne tantum virum non intellegas, qui ex pervulgata fama nescio quid miraculi absque humano sensu disiuncti prae se ferat. Verum si suae eum disciplinae idcirco studuisse tibi persuaseris, quod in ingenio moribusque originem rerum civilium obscure praesensisset, et huius viri salvam auctoritatem et Platonis praeclaram doctrinam propius inspicies. Namque ita sublimis ferebatur uterque, ut quodammodo praetexerent recentiorum hominum systemata solidi huius mundi habitum interpretantium ex innata mente. In una anima sedes malorum, una cognitio caput bonorum habenda. Nescio an existimer longius esse progressus; sed ipsa res invitat, ut reconditam rationem perscrutere.

Quae igitur universe Socrates significavit, ea subtiliter limateque ad philosophiae formam traduxit Plato, qui pari nisus fundamento nihil aliud moliretur, nisi ut altius in animae naturam descenderet. Ex qua cum ille bona malaque petiisset, ad examinandam animam alter accessit.

Hinc princeps psychologiae factus est, qua quidem re eius laus praecipua continetur.

Iam accuratius doctrinae similitudines perpendentibus nobis cum maxime cavendum est, ne rivulos consectari videamur praetermisso rerum fonte. Nihil enim singula praecepta valent, nisi voluntas auctoris sententiaque excutiantur.

Iustitiam quid sit et quo referatur sibi pertractandam sumpsit. Aspernatus vulgo tradita, quibus ad res externas revocaretur, eius sedem in ipsa anima conquirit (366 E *αὐτὸ τῇ αὑτοῦ δυνάμει ἐν τῇ τοῦ ἔχοντος ψυχῇ ἐνόν*). Socratem quoque iustitiam principem virtutum habuisse primum inde colliges, quod in Cyropaedia Xenophon pueros non literas sed iustitiam discentes fecit (I, 2, 6 *οἱ μὲν παῖδες εἰς τὰ διδασκαλεῖα φοιτῶντες διάγουσι μανθάνοντες δικαιοσύνην. καὶ λέγουσιν ὅτι ἐπὶ τοῦτο ἔρχονται ὥσπερ παρ' ἡμῖν οἱ τὰ γράμματα μαθησόμενοι*), tum quod in Memorabilibus idem scripsit III, 9, 5 *ἔφη δὲ καὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἄλλην πᾶσαν ἀρετὴν σοφίαν εἶναι*, quo loco quasi ius praecipuum iustitiae declaratur. (Cf. 445 B *κακίας μὲν καὶ ἀδικίας ἀπαλλαγήσεται, δικαιοσύνην τε καὶ ἀρετὴν κτήσεται*). Quocum conferendus Reipublicae locus 443 E, quo statuit Plato *δικαίαν μὲν καὶ καλὴν πρᾶξιν, ἣ ἂν ταύτην τὴν ἕξιν σώζῃ τε καὶ ἀπεργάζηται, σοφίαν δὲ τὴν ἐπιστατοῦσαν ταύτῃ τῇ πράξει ἐπιστήμην:* fere ex literis expressa est sententia iustitiam cum sapientia coniungentis. Denique quod Plato Adimantum de Socrate confitentem induxit 367 D *πάντα τὸν βίον οὐδὲν ἄλλο σκοπῶν διελήλυθας ἢ τοῦτο* (quid sit justitia). Itaque cum Plato suo libro id ageret, ut magistri rationes ad posteritatem propagaret, proposita iustitia et huius et sua ipsius consilia ad civitatem, non ad demonstrationes notionesve pertinere luculentissime professus est. Cui sen-

tentiae suffragatur altera omninoque neglecta definitio *σοφίας*: quae scientia doceat, *ὅντινα τρόπον αὐτή τε πρὸς αὑτὴν καὶ πρὸς τὰς ἄλλας πόλεις ἄριστ' ἂν ὁμιλοίη*, eam *μόνην τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν σοφίαν καλεῖσθαι* (428 D et 429 A). Qui ita scripsit, aucupio notionum non potuit teneri, verum de ratione reipublicae gerenda cogitabat, homines strenuos et fortes ad agendum disciplina excoli volebat. Ideo custodes suos appellavit *πολεμικοὺς ἄνδρας* 399 A, *πολεμικοὺς ἀθλητάς* 404 A, *ἀθλητὰς πολέμου* 416 D et 422 B, *ἀθλητάς* 422 C, vel *δημιουργοὺς ἐλευθερίας* 395 C, *οὓς δεῖ ἐλευθέρους εἶναι δουλείαν θανάτου μᾶλλον πεφοβημένους* 387 B.

Iustitiam ita informat Plato, ut varia ingenia secernat, optimas ad civitatem regendam erudiat. De illa re iam dictum est, restat ut de optimis dicamus.

Mem. IV, 1, 3 *τοὺς μὲν οἰομένους φύσει ἀγαθοὺς εἶναι, μαθήσεως δὲ καταφρονοῦντας, ἐδίδασκεν ὅτι αἱ ἄρισται δοκοῦσαι εἶναι φύσεις μάλιστα παιδείας δέονται, ἐπιδεικνύων τῶν τε ἵππων τοὺς εὐφυεστάτους θυμοειδεῖς τε καὶ σφοδροὺς ὄντας, εἰ μὲν ἐκ νέων δαμασθεῖεν, εὐχρηστοτάτους καὶ ἀρίστους γιγνομένους, εἰ δὲ ἀδάμαστοι γένοιντο, δυσκαθεκτοτάτους καὶ φαυλοτάτους· καὶ τῶν κυνῶν τῶν εὐφυεστάτων ..... τὰς μὲν καλῶς ἀχθείσας ἀρίστας γίγνεσθαι πρὸς τὰς θήρας καὶ χρησιμωτάτας, ἀναγώγους δὲ γιγνομένας ματαίους τε καὶ μανιώδεις καὶ δυσπειθεστάτας. ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἀνθρώπων τοὺς εὐφυεστάτους, ἐρρωμενεστάτους τε ταῖς ψυχαῖς ὄντας καὶ ἐξεργαστικωτάτους ὧν ἂν ἐγχειρῶσι, παιδευθέντας μὲν καὶ μαθόντας ἃ δεῖ πράττειν, ἀρίστους τε καὶ ὠφελιμωτάτους γίγνεσθαι· πλεῖστα γὰρ καὶ μέγιστα ἀγαθὰ ἐργάζεσθαι. ἀπαιδεύτους δὲ καὶ ἀμαθεῖς γιγνομένους κακίστους τε καὶ βλαβερωτάτους γίγνεσθαι ..... διὸ πλεῖστα καὶ μέγιστα κακὰ ἐργάζεσθαι.*

Hic primum spectari velim similitudines ex animalibus desumptas; vel maxime propriae fuerunt Socraticae disciplinae (Cyrop. II, 1, 28; 3, 9; IV, 1, 17; VII, 5, 62; VIII, 2, 4); eaedem manant per totum opus Platonis. Custodes appellat *κύνας στερεοὺς καὶ ἰσχνούς* 422 D vel canum instar 440 D, 466 D; vel *ἀγέλην* 451 E, 459 E; vel *ποίμνιον* 416 A, 459 E. Communionem mulierum animalium more comprobat 451 D; cum disserit de animae partibus (441 B *ἔτι δὲ ἐν τοῖς θηρίοις ἄν τις ἴδοι ὃ λέγεις*), vel de hereditate virtutum (458 A *πρότερον οὖν ἐξ ἁπάντων ὁμοίως γεννᾷς ἢ προθυμεῖ ὅτι μάλιστα ἐκ τῶν ἀρίστων*), eodem respicit. Quid quod custodis naturam ad exemplar canis effingit? 375 A *Οἴει οὖν τι διαφέρειν φύσιν γενναίου σκύλακος εἰς φυλακὴν νεανίσκου εὐγενοῦς;* In cane ipso discendi studium deprehendit, quod idem esset atque philosophia: 376 A *κομψόν γε φαίνεται τὸ πάθος αὐτοῦ τῆς φύσεως καὶ ὡς ἀληθῶς φιλόσοφον .... τό γε φιλομαθὲς καὶ φιλόσοφον ταὐτόν.*

Deinceps quod in Memorabilibus affertur, optimum quemque deterrimum evadere, nisi erudiatur, idem invenias in Republica 491 E *οὐκοῦν καὶ τὰς ψυχὰς οὕτω φῶμεν τὰς εὐφυεστάτας κακῆς παιδαγωγίας τυχούσας διαφερόντως κακὰς γίγνεσθαι; ἢ οἴει τὰ μεγάλα ἀδικήματα καὶ τὴν ἄκρατον πονηρίαν ἐκ φαύλης, ἀλλ' οὐκ ἐκ νεανικῆς φύσεως τροφῇ διολομένης γίγνεσθαι;* 495 B *διαφθορὰ τοσαύτη τε καὶ τοιαύτη τῆς βελτίστης φύσεως ..... καὶ ἐκ τούτων δὴ τῶν ἀνδρῶν καὶ οἱ τὰ μέγιστα κακὰ ἐργαζόμενοι τὰς πόλεις γίγνονται*, quae extrema verba ad literas fere cum Memorabilibus congruunt.

Unde autem cognoscitur optima indoles? Mem. IV, 1, 2 *ἐτεκμαίρετο δὲ τὰς ἀγαθὰς φύσεις ἐκ τοῦ ταχύ τε μανθάνειν οἷς προσέχοιεν καὶ μνημονεύειν ἃ μάθοιεν .....* Iam

audias Platonem 455 B *ἆρα οὕτως ἔλεγες, τὸν μὲν εὐφυῆ πρός τι εἶναι, τὸν δὲ ἀφυῆ, ἐν ᾧ ὁ μὲν ῥᾳδίως τι μανθάνοι, ὁ δὲ χαλεπῶς; καὶ ὁ μὲν ἀπὸ βραχείας μαθήσεως ἐπὶ πολὺ εὑρετικὸς εἴη οὗ ἔμαθεν, ὁ δὲ πολλῆς μαθήσεως τυχὼν καὶ μελέτης μηδ' ἃ ἔμαθε σώζοιτο.* 486 D *Ἐπιλήσμονα ἆρα ψυχὴν ἐν ταῖς ἱκανῶς φιλοσόφοις μή ποτε ἐγκρίνωμεν, ἀλλὰ μνημονικὴν αὐτὴν ζητῶμεν δεῖν εἶναι.* 487 A *ἐπιτήδευμα ὃ μή ποτ' ἄν τις οἷός τε γένοιτο ..... εἰ μὴ φύσει εἴη μνήμων εὐμαθής .....* 490 C *μεμνησαι γάρ που ὅτι ξυνέβη προσῆκον τούτοις ..... εὐμάθεια, μνήμη.* 494 B *ὡμολόγηται γὰρ δὴ ἡμῖν εὐμάθεια καὶ μνήμη ..... ταύτης εἶναι τῆς φύσεως.*

Tam saepe recurrit ad illam simplicitatis plenam definitionem Xenophontis, quem nescio an aliter levitatis, ut fieri solet, et rudis cuiusdam intellegentiae argueris.

Num ea quae de optimorum institutione Plato persecutus sit prorsus concinant cum Socratica ratione, neque liquet neque ego temere contenderim. Attamen haec habent communia.

Primum enim, si Xenophontis (Mem. IV, 7) auctoritate utaris, Socrates omnia docebat discique volebat praeter poesin. Non dilucide dixit Xenophon, sed silentium est pro testimonio. In capite allato enarrantur disciplinae, in quibus Socrates versari soleret et quae bono viro necessaria arbitraretur, itemque Mem. I, 1, 16 mentio fit disputationum (*τί εὐσεβές* sqq.), quas omnes oporteret intellegere, nisi illiberales haberi vellent. Officia igitur quaeque maxime ad usum vitae spectarent perdiscenda curant et, cum omnia utilitatis modulo metiretur, haud scio an iure eum negem poesi Graecorum favisse. Cui obsecutus Plato quoque suis simultatibus indulsit funditus poesi quae tunc erat e civitate sublata. Iam cum quaeris, quidni Xenophon rem aperte

prodiderit, id unum commemoro: omnia eum praeteriisse, quae officerent causam dicenti. Quod defendere volebat, non alia attulit, nisi quae reo defendendo inservirent. Itaque omni opera enisus est, ne patrios mores exuisse videretur.

Quae si tibi minus placeant, memineris *παλαιᾶς διαφορᾶς* (607 B) philosophis cum poesi intercedentis, quae inde imprimis profecta est, quod religio in carminibus expressa humanitatem offenderet. Hoc vetere discidio etiam Socrates agitabatur, qui de divino numine excelsius sentiret poetis. Ea autem altera est eorum disciplinae similitudo: emendandae religioni studebant. Plato enim a tenera aetate haec iussit animis imprimi: *μὴ πάντων αἴτιον τὸν θεόν, ἀλλὰ τῶν ἀγαθῶν* 380 C, *μήτε ἡμᾶς ψεύδεσι παράγειν ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ ..... πάντῃ ἄρα ἀψευδὲς τὸ δαιμόνιον* 383 A et 382 E. His nisus principiis bellum infert poesi, quae prave faciendi et turpiter fallendi deos auctores fecisset. Ceterum vetustis sacris se addictum professus Pythiam quasi patronam civitatis instituit (482 B *Τῷ μέντοι Ἀπόλλωνι τῷ ἐν Δελφοῖς τά τε μέγιστα καὶ κάλλιστα καὶ πρῶτα τῶν νομοθετημάτων.* Cf. 461 E, 469 A, 540 C). Ita caerimonias retinebat, purgabat religiones, ut quisque bonos deos eosdemque veraces suspiceret. Cuius rationis principem Socratem fuisse probatur Memorabilibus I, 3, 2 *καὶ εὔχετο δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς ἁπλῶς τἀγαθὰ διδόναι, ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότας ὁποῖα ἀγαθά ἐστι ..... ἐνόμιζε τοὺς θεοὺς τοῖς παρὰ τῶν εὐσεβεστάτων τιμαῖς μάλιστα χαίρειν ..... εἰ δέ τι δόξειεν αὐτῷ σημαίνεσθαι παρὰ τῶν θεῶν, ἧττον ἂν ἐπείσθη παρὰ τὰ σημαινόμενα ποιῆσαι ἢ εἴ τις αὐτὸν ἔπειθεν ὁδοῦ λαβεῖν ἡγεμόνα τυφλὸν καὶ μὴ εἰδότα τὴν ὁδὸν ἀντὶ βλέποντος καὶ εἰδότος .....* I, 1, 2 *θύων τε γὰρ φανερὸς ἦν πολλάκις μὲν οἴκοι, πολλάκις δὲ*

ἐπὶ τῶν κοινῶν τῆς πόλεως βωμῶν . . . . . § 7 *καί τοὺς μέλλοντας οἴκους τε καὶ πόλεις καλῶς οἰκήσειν μαντικῆς ἔφη προσδεῖσθαι.* Ne paullulum quidem immutatam uberius modo explicatam doctrinam Plato excepit; immo vero praeclarae vocis apud Xenophontem servatae — I, 1, 19 *Σωκράτης δὲ πάντα μὲν ἡγεῖτο θεοὺς εἰδέναι τά τε λεγόμενα καὶ πραττόμενα καὶ τὰ σιγῇ βουλευόμενα, πανταχοῦ δὲ παρεῖναι καὶ σημαίνειν τοῖς ἀνθρώποις περὶ τῶν ἀνθρωπείων πάντων* — eius nihil simile in Republica deprehendi.

Iam vero ambigenti, quae sit malorum origo, cum deos bonos esse uterque censeret, facile obicietur inscientia. Quae quidem tertia exstat in educandis principiis similitudo. Nolim longior esse in afferendis locis Xenophonteis; tam omnibus noti et perspecti sunt. Id tantum dicam cuique sponte probatum: omnia Socratem in discendo et exercendo collocasse, quibus exstinquerentur cupiditates et privata ac publica salus fundarentur. Eis neglectis studiis quovis malorum genere laborare et obrui cum animam tum civitatem. Tametsi enim eius consilia res civiles spectare Xenophon abunde testificatur, praeterquam quod disci et exerceri iussit, nullum utique emendandae civitatis remedium prodidit. Neque erat profecto, quod esset prodendum, cum a bene instructis ingeniis gravissimae rei optime prospici ipse Socrates docere soleret (Mem. IV, 1, 2). Ingeniis excolendis ultro res ad prosperum eventum procedunt.

Ita Socrates sentit et fere mirum in modum consentit Plato. Non multis verbis opus esse custodibus: *ἐὰν γὰρ εὖ παιδευόμενοι μέτριοι ἄνδρες γίγνωνται, πάντα ταῦτα ῥᾳδίως διόψονται* 423 E. Exigua instituta, velut tacere coram senibus, cedere illis loco atque assurgere, parentes colere, tonsurae vestis calcei modos *ἐξευρίσκουσιν οἵτοι* . . . . . .

νομοθετεῖν δ' αὐτὰ εἴηθες 425 A, C. Negotia autem forensia, mutua commercia et pacta, convicia et verbera, citationes in iudicia, constitutiones iudicum, vectigalia in foro et portu exigenda, forensia iura vel navalia vel urbana non praescribendum esse quemadmodum fieri debeant: *οὐκ ἄξιον ἀνδράσι καλοῖς κἀγαθοῖς ἐπιτάττειν· τὰ πολλὰ γὰρ αὐτῶν, ὅσα δεῖ νομοθετήσασθαι, ῥᾳδίως που εὑρήσουσιν* 426 D. Apparere enim, quale cuiusque fuerit puerilis educationis initium, talia fore etiam quae consequantur: *ἢ οὐκ ἀεὶ τὸ ὅμοιον ὂν ὁμοίον παρακαλεῖ* 426 C. Rempublicam, si semel coeperit bene progredi, progredi tamquam circulum proficientem: *τροφὴ γὰρ καὶ παίδευσις χρηστὴ σωζομένη φύσεις ἀγαθὰς ἐμποιεῖ καὶ αὖ φύσεις χρησταὶ τοιαύτης παιδείας ἀντιλαμβανόμεναι ἔτι βελτίους τῶν προτέρων φύονται* 424 A. Ut paucis absolvam, quo nititur haec civitas, quae, *ἐάνπερ ἅπαξ ὁρμήσῃ εὖ, ἔρχεται ὥσπερ κύκλος αὐξανομένη?* Institutione ac disciplina optimorum, id quod tam avide Socrates appetebat. Et unde fit, ut circuli instar bene fundata civitas procedat? Quod eruditione mala repelluntur et eximuntur. Neque igitur diutius eam civitatem Platonicis ideis constitutam esse putaveris — vana scilicet et penitus falsa sententia —, verum nostris ipsorum ideis ubique cognitis et revera perfectis, ex quibus cum mentis morumque educatione etiam bona huius vitae praeformari cuivis sani iudicii homini persuasum est. Atque earundem idearum, quibus recentior humanitas continetur, Socrates auctor Plato vindex exstiterunt.

Itaque cum mala ex rudibus ingeniis oriri putarentur, nescientibus etiam vim inferre sustinuit: Mem. I, 2, 50 *Σωκράτης δὲ τὸν μὲν ἀμαθίας ἕνεκα δεσμεύοντα δικαίως ἂν καὶ αὐτὸν ᾤετο δεδέσθαι ὑπὸ τῶν ἐπισταμένων ἃ μὴ αὐτὸς ἐπίσταται . . . . . τοὺς δὲ μὴ ἐπισταμένους τὰ δέοντα*

δικαίως ἂν μανθάνειν παρὰ τῶν ἐπισταμένων. Cogendos esse homines, ut res necessarias callerent omnique modo arcendos *τοὺς μήτε λόγῳ μήτ' ἔργῳ ὠφελίμους ὄντας καὶ μήτε στρατεύματι μήτε πόλει μήτε αὐτῷ τῷ δήμῳ εἴ τι δέοι βοηθεῖν ἱκανούς* Mem. I, 2, 59. Eam vix intellegas sententiam nisi cum Socrate ex incohata natura malum derivaveris; quod cum alii legum necessitate cupiunt refrenare, ille doctrina per vim impressa propulsat. Iam, quid aliud haec ratio spectat, quam eam qua nostra patria floret omnium disciplinam: discit deterrimus quisque, quod discere iubetur.

Iam comprehendam. Cum Socrates deos bonos bonorumque tantum auctores esse crederet, ex hominum natura, ut accuratius dicam, ex ignara mente malum repetivit. Eam aggressus malum expellit scientia. Quare suae quemque sortis fabrum esse: perdidiceris officia, expleveris: *τοὺς ταῦτα (τὰ καλὰ κἀγαθὰ) εἰδότας ἄλλο ἀντὶ τούτων οὐδὲν προελέσθαι* Mem. III, 9, 5. Neminem lubentem et scientem pravis indulgere sed bonorum nescium: *ὁπόσα δὲ ἀγνοίᾳ ἄνθρωποι ἐξαμαρτάνουσι, πάντ' ἀκούσια ταῦτα ἐγὼ νομίζω* Cyrop. III, 1, 38.

In medium prodeat Plato: 382 B *ἐγὼ δὲ λέγω, ὅτι τῇ ψυχῇ περὶ τὰ ὄντα ψεύδεσθαί τε καὶ ἐψεῦσθαι καὶ ἀμαθῆ εἶναι καὶ ἐνταῦθα ἔχειν τε καὶ κεκτῆσθαι τὸ ψεῦδος πάντες ἥκιστα ἂν δέξαιντο καὶ μισοῦσι μάλιστα αὐτὸ ἐν τῷ τοιούτῳ.* 412 E *φαίνεταί μοι δόξα ἐξιέναι ἐκ διανοίας ἢ ἑκουσίως ἢ ἀκουσίως, ἑκουσίως μὲν ἡ ψευδὴς τοῦ μεταμανθάνοντος, ἀκουσίως δὲ πᾶσα ἡ ἀληθής.* 485 C *τὸ ἑκόντας εἶναι μηδαμῇ προσδέχεσθαι τὸ ψεῦδος, ἀλλὰ μισεῖν, τὴν δ' ἀλήθειαν στέργειν.* Malum ideo perimitur cognitione, quae omnibus patet cupientibus adire: etenim *οὐχ ὑμᾶς δαίμων λήξεται, ἀλλ' ὑμεῖς δαίμονα αἱρήσεσθε . . . . . ἀρετὴ ἀδέσπο-*

τον, ἣν τιμῶν καὶ ἀτιμάζων πλέον καὶ ἔλαττον αὐτῆς ἕξει 617 E. Quodcirca ceteris disciplinis neglectis eam esse scientiam investigandam, qua et bonam atque pravam vitam discernat et meliorem ex omnibus quaecunque eligi possint eligat 618 C. Libera cuique optio datur, neque aliunde virtus suspensa est nisi ex studio eius atque scientia. Recluditur perpetua fortuna volenti, cum volentem ultro et scientia et possessio virtutis sequantur. Haec *ἀρετὴ ἀδέσποτος* tot tantisque laudibus insignis ex intima doctrina Socratis profecta est.

Restat, ut quartam similitudinem afferam, quae inter utriusque educandi principia intercedat: utilitatem intellego, ad quam omnia Socratem revocasse constat. Dum civitas Atheniensium voluptatibus et spectaculis in foro scaenaque diffluueret, publica anteponens commoda ad veram utilitatem consilia direxit. Nec sane in eo inest, quod offensionem habeat: mores saeculi impugnabat, populum docebat. Atque ardua quaedam utilitas nec dulcis gustatu, quam ipse quoque Plato Reipublicae suae substruxit. Numquam nec acrior nec generosior eius vindex in certamen descendit: *κάλλιστα γὰρ δὴ τοῦτο καὶ λέγεται καὶ λελέξεται, ὅτι τὸ μὲν ὠφέλιμον καλόν, τὸ δὲ βλαβερὸν αἰσχρόν* 457 B. Qua de causa poetarum narrationes de inferis excludit? Quod neque vera dicerent neque *ὠφέλιμα τοῖς μέλλουσι μαχίμοις ἔσεσθαι* 386 C. Quando mendacium admittere licet custodibus? *ἐπ' ὠφελείᾳ τῆς πόλεως* 389 B et 459 D. Quali publico poeta utitur Homero sociisque nimis displicentibus? *αὐστηροτέρῳ καὶ ἀηδεστέρῳ ..... ὠφελείας ἕνεκα* 398 C. Medicis omnino interdicit, ne morbidum hominem curent: *ὡς οὔτε αὑτῷ οὔτε πόλει λυσιτελῇ* 407 D. Sane quidem melius rem gesserunt Asclepiadae: *νοσώδη δὲ φύσει τε καὶ ἀκόλαστον οὔτε αὐτοῖς οὔτε τοῖς ἄλλοις ᾤοντο λυσιτελεῖν*

ζῆν 408 B. In optimorum custodum delectu ei respiciuntur, qui per totam vitam, ὃ ἂν τῇ πόλει ἡγήσωνται συμφέρειν 432 E, perficere videantur. Omnibus numeris absolutus custos eius modi esse debet, οἷος ἂν ὢν καὶ ἑαυτῷ καὶ πόλει χρησιμώτατος εἴη 413 E. In civitate concinnanda quid potissimum sequitur? ἐν ὅλῃ τῇ πόλει τοῦτο μηχανᾶται ἐγγενέσθαι, ξυναρμόττων τοὺς πολίτας πειθοῖ τε καὶ ἀνάγκῃ, ποιῶν μεταδιδόναι τῆς ὠφελείας, ἣν ἂν ἕκαστοι τὸ κοινὸν δυνατοὶ ὦσιν ἀφελεῖν 519 E. Quae tandem in summo vertice idearum insidet boni forma et solis genetrix, quali vi regia adornata eminet? ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα, ᾗ καὶ δίκαια καὶ τἆλλα προσχρησάμενα χρήσιμα καὶ ὠφέλιμα γίγνεται 505 A. Concesseris utilitatem eum calluisse et exhausisse, quam reginam instituerat in coelo terrisque. Quid, quaeso, nimis imparem magistro fuisse Xenophontem arguitis, si quidem Plato illius vestigia quantum potest artissime sequitur?

Sed altera etiam patet utriusque communis ratio utilitatis, quamvis ex absona aliquantum posteriore parte Reipublicae petenda sit. Traditur enim in Memorabilibus, Socratem aversum fuisse a philosophantium doctorumque virorum disciplinis. Perstrinxit et irrisit commenta, quae nihil prodessent, propiora neglegerent, secum repugnarent, intellegentiam transcenderent. (I, 1, 11—15); idem repudiatis reconditioribus partibus arithmeticae mathematicae astronomiae, quoniam nihil fructus ad vitam suppeditarent, necessarias tamen commendavit. Necessarias autem eas esse quae usui serviant. (IV, 7, 2—8). Quare ipse eas disciplinas cum discipulis pertractabat. — In VII. libro Reipublicae via demonstratur, qua ad perfectam artem disputandi custodes escendant. Primum omnium eam oportet μὴ ἄχρηστον πολεμικοῖς ἀνδράσιν εἶναι 521 D. Orditur

disciplina ab numerorum ratione: *Ἄλλο τι οὖν μάθημα ἀναγκαῖον πολεμικῷ ἀνδρὶ θήσομεν λογίζεσθαί τε καὶ ἀριθμεῖν δύνασθαι* 522 E. *Πολεμικῷ μὲν γὰρ δεῖ τὰς τάξεις ἀναγκαῖον μαθεῖν ταῦτα* 525 B (Mem. IV, 7, 8 *ἐκέλευε δὲ καὶ λογισμοὺς μανθάνειν*). Pergit ad geometriam: *Ὅσον μὲν πρὸς τὰ πολεμικὰ αὐτοῦ τείνει, δῆλον ὅτι προσήκει. πρὸς γὰρ τὰς στρατοπεδεύσεις καὶ καταλήψεις χωρίων καὶ συναγωγὰς καὶ ἐκτάσεις στρατιᾶς καὶ ὅσα δὴ ἄλλα σχηματίζουσι τὰ στρατόπεδα ἐν αὐταῖς τε ταῖς μάχαις καὶ πορείαις διαφέροι ἂν αὐτὸς αὑτοῦ γεωμετρικὸς καὶ μὴ ὤν* 526 D. Iam attendas velim memorabilem et vix exspectatum consensum. Respuit Socrates, ut est apud Xenophontem IV, 7, 3 *τὸ μέχρι τῶν δυσσυνέτων διαγραμμάτων γεωμετρίαν μανθάνειν.* Plato: *αὕτη ἡ ἐπιστήμη πᾶν τοὐναντίον ἔχει τοῖς ἐν αὐτῇ λόγοις λεγομένοις ὑπὸ τῶν μεταχειριζομένων . . . . . Λέγουσι μέν που μάλα γελοίως τε καὶ ἀναγκαίως. ὡς γὰρ πράττοντές τε καὶ πράξεως ἕνεκα πάντας τοὺς λόγους ποιούμενοι λέγουσι τετραγωνίζειν τε καὶ παρατείνειν καὶ προστιθέναι καὶ πάντα οὕτω φθεγγόμενοι* 527 A. Sequitur astronomia: *Τὸ περὶ ὥρας εὐαισθοτέρως ἔχειν καὶ μηνῶν καὶ ἐνιαυτῶν, οὐ μόνον γεωργίᾳ οὐδὲ ναυτιλίᾳ προσήκει, ἀλλὰ καὶ στρατηγίᾳ οὐχ ἧττον* 527 D. . . . . *ὡς μὲν νῦν αὐτὴν μεταχειρίζονται οἱ εἰς φιλοσοφίαν ἀνάγοντες πάνυ ποιεῖν κάτω βλέπειν* 529 A. — Mem. IV, 7, 4 *ἐκέλευε δὲ καὶ ἀστρολογίας ἐμπείρους γίγνεσθαι καὶ ταύτης μέντοι μέχρι τοῦ νυκτός τε ὥραν καὶ μηνὸς καὶ ἐνιαυτοῦ δύνασθαι γιγνώσκειν ἕνεκα πορείας τε καὶ πλοῦ καὶ φυλακῆς* — conferas quaeso utriusque loci fere aequalem tenorem — . . . . . *τὸ δὲ μέχρι τούτου ἀστρονομίαν μανθάνειν . . . . . ἰσχυρῶς ἀπέτρεπεν.* Etiam hic consensio elucet. Quatenus ad vitae usum attineat astronomia, uterque disci eam iubet; quatenus scientiae solius rationem habeat, uterque contemnit. Quin etiam omnino vanum studium

astronomiae Plato putabat, cum eorum, quae sensibus perciperentur, scientia exsistere nequiret (*ἐπιστήμην γὰρ οὐδὲν ἔχειν αἰσθητῶν* 529 B). Nolim tamen, ut finem faciam de utilitate dicendi, id missum fieri, alios fructus, quos ex illis disciplinis Plato perceptum iri speraret, haudquaquam ex Socratis sententia profectos videri.

Postremo de vi consuetudinis in educando brevi disputetur. Iam supra Memorabilium testimonia attuli, quibus adicias Xenophontis verba cum maxime ad magistri morem accommodata: I, 2, 19 *ὁρῶ γὰρ ὥσπερ τὰ τοὺ σώματος ἔργα τοὺς μὴ τὰ σώματα ἀσκοῦντας οὐ δυναμένους ποιεῖν, οὕτω καὶ τὰ τῆς ψυχῆς ἔργα τοὺς μὴ τὴν ψυχὴν ἀσκοῦντας οὐ δυναμένους*. In Republica vix dici potest quantum consuetudini tribuatur. In prima parte auctor vel neglegendae scientiae speciem prae se fert. Musica et gymnastica conficitur institutio; primam pueritiam — *μάλιστα γὰρ δὴ τότε πλάττεται καὶ ἐνδύεται τύπος, ὃν ἄν τις βούληται ἐνσημήνασθαι ἑκάστῳ* 377 B. — excipiunt: *ἀλλ' ἦν ἐκείνη ἀντίστροφος τῆς γυμναστικῆς ἔθεσι παιδεύουσα τοὺς φύλακας* 522 A. Etiam longius progreditur: *αἱ μὲν ἄλλαι ἀρεταὶ καλούμεναι ψυχῆς κινδυνεύουσιν ἐγγύς τι εἶναι τῶν τοῦ σώματος· τῷ ὄντι γὰρ οὐκ ἐνοῦσαι πρότερον ὕστερον ἐμποιεῖσθαι ἔθεσί τε καὶ ἀσκήσεσιν* 518 D. Quod si serio dixit, vim praecipuam educationis in consuetudine locasse censendus est.

Atque haec quidem gravissima sunt, quae de utriusque in educando principiis observanda videantur. Quantum differant ostendere non est huius instituti nonnisi ad consensum Memorabilium et Reipublicae pertinentis. Nec vero eis quae adhuc attuli consiliis aequalitas rationum absolvitur: alia sunt neque ea leviora, quae susceptam causam adiuvent.

Plato in effingendo civitatis exemplari imprimis id sequebatur, ut unitatem et alterius erga alterum benevolentiam efficeret. Inde inimicitias deorum a poetis illustratas vetuit pueros audire: *εἴ γε δεῖ ἡμῖν τοὺς μέλλοντας πόλιν φυλάξειν αἴσχιστον νομίζειν τὸ ῥᾳδίως ἀπεχθάνεσθαι ..... οὐδεὶς πώποτε πολίτης ἕτερος ἑτέρῳ ἀπήχθετο* 378 C. Scilicet *τὴν ἀλλήλων φιλίαν μὴ περὶ σμικροῦ ποιησομένοις* 386 A cavendum erat, ne divinis exemplis ipsorum libidines excusare possent. Ita civium mercede custodum vitam sustentat, quod partis patrimoniis *δεσπόται ἐχθροὶ ἀντὶ ξυμμάχων τῶν ἄλλων πολιτῶν γενήσονται, μισοῦντες δὲ δὴ καὶ μισούμενοι καὶ ἐπιβουλεύοντες καὶ ἐπιβουλευόμενοι διάξουσι πάντα τὸν βίον* 417 A. Civitatem omnes Graecas superaturam, si modo mille milites suopte more moratos haberet: *οὕτω γὰρ μεγάλην πόλιν μίαν οὐ ῥᾳδίως εὑρήσεις, δοκούσας δὲ πολλὰς καὶ πολλαπλασίας τῆς τηλικαύτης* 423 B. Tantum modo incrementi ei capere permittit: *μέχρι οὗ ἂν ἐθέλῃ αὐξανομένη εἶναι μία* 423 B. Ut longe summam eius calamitatem id esse arcendum: *ὃ ἂν αὐτὴν διασπᾷ καὶ ποιῇ πολλὰς ἀντὶ μιᾶς* 462 B. Communione mulierum et liberorum *πανταχῇ εἰρήνην πρὸς ἀλλήλους οἱ ἄνδρες ἄξουσι. Τούτων μὴν ἐν ἑαυτοῖς μὴ στασιαζόντων οὐδὲν δεινόν, μή ποτε ἡ ἄλλη πόλις πρὸς τούτους ἢ πρὸς ἀλλήλους διχοστατήσῃ* 465 B. Sed quid opus plura afferre? Vel obiter perlegenti omne genus documenta obtruduntur, quanto ardore domesticam pacem amplexatus sit. In Memorabilibus Socrates interrogat, quis in concionando optimus civis habendus sit? *Ὅ τε στάσεις παύων καὶ ὁμόνοιαν ἐμποιῶν* IV, 6, 13.

Socrates dicere consuevit, opus facere honestum esse, turpe cessare Mem. I, 2, 57. Omnem Rempublicam in eo fundamento constitutam esse non est quod fusius explicem;

satis est praecipuam aliquam vocem attulisse: *πᾶσι τοῖς εὐνομουμένοις ἔργον τι ἑκάστῳ ἐν τῇ πόλει προστέτακται, ὃ ἀναγκαῖον ἐργάζεσθαι* 406 C.

Principes esse in civitate Socrates docebat neque qui sceptrum tenerent neque qui a quibuslibet electi essent neque qui id vel sorte vel vi vel fraude nacti essent, sed qui rebus praeesse scirent (Mem. III, 9, 10 sqq.). Ut in navi is imperaret qui navigandi esset peritus, sic in civitate civitatis peritos regnare oportere. Tales autem eos solos evadere, qui discendo et exercendo rem suam causamque penitus percepissent. Quod quasi ex ore ipsius Platonis manasse Reipublicae ratio et disciplina abunde confirmant, ac ne ea quidem desunt in eius descriptione, quae Xenophontis verbis fere insistant. Finge animo — ita legitur 488 sqq. — quendam navis aut classis gubernatorem ..... surdum et caligantibus oculis et mente gubernandi nescia; nautas autem de gubernando inter se certantes, dum unusquisque se imperio dignum putet, quamquam nec artem didicerit umquam nec praeceptorem in ea re ullum possit ostendere neque quo tempore didicerit assignare queat; negantes quin etiam artem illam doceri posse eumque qui doceri posse contendat ferro petentes: ipsos autem circa gubernatorem illum confluere et obsecrare, ut tradat gubernacula; quo impetrato ne cogitare quidem de officio gubernatoris, rationem habendi anni temporum coeli siderum ventorum omnium quae ad illam artem attineant.

Ut evinceret vim scientiae in rebus humanis Socrates lanificii exemplo uti solebat: Mem. III, 9, 11 *ἐν δὲ ταλασίᾳ καὶ τὰς γυναῖκας ἐπεδείκνυ ἀρχούσας τῶν ἀνδρῶν, διὰ τὸ τὰς μὲν εἰδέναι ὅπως χρὴ ταλασιουργεῖν, τοὺς δὲ μὴ εἰδέναι.* Quocum compares Platonis dictum: *ἢ μακρολογῶμεν τήν τε ὑφαντικὴν λέγοντες καὶ τὴν τῶν ποπάνων τε καὶ ἑψημάτων θεραπείαν,*

ἐν οἷς δή τι δοκεῖ τὸ γυναικεῖον γένος εἶναι, οὗ καὶ καταγελαστότατόν ἐστι πάντων ἡττώμενον 455 C. Ceterum si qui causas reputaverit, quibus ad doctrinam de mulieribus adductus sit, si minus earum communitatis, certe reipublicae ab iis capessendae auctorem Socratem fuisse concesserit. Ne ipse sit professus, alios tamen ut profiterentur suis principiis impulit.

THESES.

I. Quam sententiam nuper Brandesius de indole Graecorum cum Germanorum indole non comparanda professus est, eam veram habendam existimo.

II. De Sophistis genuini fontes unice iudicandi sunt Plato in Republica, Xenophon, Isocrates.

III. Hegelii methodus quodammodo praeformatur Dialectica Platonis.

Gp 83.477
Socratis doctrina ex Platonis Repub
Widener Library 002407961
3 2044 085 154 755